

Quod unum mihi addendum superest, vix e mente mea dubitationem evellere possum, num in memoratis hisce Comitiis Carolus tunc primum Rex Italiae electus fuerit. Hoc quidem Acta sonant; sed mihi abhorre a consuetudine ceterorum Principum videtur, qui non antea ad Imperiale fastigium ascendere soliti fuerunt, quam Regni Italici habendas ac titulum consequuti fuissent. Ludovicum Pium excipio, quia tunc Bernardo ejus nepoti Langobardicum Regnum parebat. Profecto quum difficultia tempora instarent Calvo, quippe Ludovicus ejus frater, Germaniae Rex, & natu etiam major, ad Italiae ac Imperii coronam & ipse anhelabat, immo arma eam ob causam jam arripuerat, fieri facile potuit, ut Carolus nihil sibi cunctandum ratus satius duxerit praecuppare Imperiale nomen, & benedictionem Pontificis, quam consistere ad colligenda Italcorum Procerum vota divisa. Attamen suspicari adhuc cogor, Carolum Calvum tum terrore injecto potentiae suae, tum eo quo potuit Optimatum, Populorumque consensu, Regnum Italicum prius sibi conquisuisse, ac deinde Romam convolasse. Ut habet Annalium Fuldensium Scriptor, ut primum Ludovici II. Augusti obitum *Carolus Galliae tyrannus comperit, illico Regnum Italiae invasit.* Deinde Carlonanno fratri filio contra se cum validis copiis irruenti, ad fauces Italiae vires suas objecit, eumque aut vi aut muneribus in Germaniam regredi coegerit. Quo facto demum *quanta potuit velocitate Romam profectus est.* Ad haec Annalibus Bertinianis fidem rei facientibus, Carolus post unctionem Imperiale Romam exiens, *Papiam rediit.* Ergo ante coronationem Romanam, ideoque Anno 875. Carolus Langobardici Regni Sedem pacifice ingressus fuerat; vixque excogitari potest, quin ibi se Regem Italiae instituendum atque acclamandum sine mora curarit. Quod si Anno subsequente 876. ex Urbe Ticinum regressus, electionem a Regni Proceribus quaesivit, haec fuerit potius praecedentis confirmatio, atque ut ex concordibus Optimatum Langobardicorum suffragiis, quorum nonnulla ante desideraverat, electio sua eo magis legitima evaderet, enixiusque consolidaretur. In Pontigonensi quoque Synodo, eodem Anno celebrata, Francici Regni Patres Carolum ipsum, quamquam tot ante Annos Francorum Regem, elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse: cuiusmodi verbis secundum editionem Pithoei, Labbei, & aliorum, usi sunt & Italici Episcopi atque Optimates in Ticinensi Concilio Praeterea Johannes VIII. Summus Pontifex, Anno subsequente 877. in Romana Synodo ejusdem Caroli electionem rursus firmavit, ac ratam habuit. Atque haec pauca licuerit mihi ediscerere, quando uberiora & clariora eorum temporum monumenta sperare non licet. Nam quod est ad Ambrosianum Aetorum exemplum, nulla mihi dubitatio restat, quin ad Sigonium conterraneum meum Fontana miserit, quando Sigonius ipse in Libris de Regno Italiae ad Annum 876. integrum Praefationem qualis heic deprehenditur, exhibit ab iis verbis: *Nos Ansperitus cum omnibus Episcopis &c.* Ego hoc ex Puricellio supra laudato in Monumentis Basilic. Ambros. num. 127. didici; neque enim in Sigoniani Operis editionibus, quibus utor, ego eiusmodi verba reperio, minimeque compertum habeo, quam editionem Puricellius, ista describens, fuerit sequutus.